

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 82. (Neovidensis 1807. Nro. 81.)

*Familiare Literarum Commercium vivos inter
ac mortuos.*

Elysium-Meum.-Die Martis 20. Octob. (Neovid. 6 Oct. 1807.)

Ad Deam Isidem

Tertius circiter Annus labitur, quo sub honorifica nominis tui protectione ab eruditis Germaniæ & Helvetiæ præstantes Ephemerides mensuræ in lucem publicam prodeunt, quæ profecto respectu multarum rerum memorabiles sunt. Isis est Titulus earum. — Paucos ante dies impegi in unum volumen; legi illud ad fallendum tempus; sed fateor, me per nonnullas propositiones in opinione mea victum fuisse, ac deliberabam mecum: Est ne hæc Isis, seu Io, Filia Inachi & Ismenes, a Jove in vaccam conversa, ut eam nimis suspicioni Junonis eriperet, eamque per Argum custodiendam jussit?

Da veniam gratiosa Dea temeritati meæ. Conclusi intra me, ut tibi proxime unum exemplar hujus Helveticæ Isidis submitterem, cupiditateque sciendi teneor voluntatem tuam, an Ephemerides hæc nomini tuo respondeant, eique honorem faciant?

*Litteræ 19. Septemb. Hafnia datæ referunt,
per Anglicas copias ab aliquot diebus tormen-*

ta, quibus ad oppugnationem Hafniæ usi erant, rursus navibus suis imponi, & quia heri nostra 14. primæ magnitudinis navis litori admota est, hinc procul dubio proximum eorum discessum conjicere licet. Juxta factionem Anglicorum Officialium 70. & amplius mortaria bellica ad oppugnationem Hafniæ adhibita erant. Jam nunc si expendamus, ageres sustinendis tormentis nonnisi 12. aut 1500 cubitis a declivitate valli munimenti ditos fuisse; si in considerationem sumatur, omnia ædificia urbis debilia esse, carereque fornicibus instructis cellis vinariis, nullum denique in urbe locum a globis tormentorum securum fuisse, facile quilibet ad credendum inducetur, nullam unquam hac formidabiliorum exstitisse oppugnationem; jam nunc numerus quoque durante obsidione occisorum, & vulneratorum constat, qui 800 circiter numerum attingit.

Dispositiones factæ sunt, ut & Metropolis, & tota Norvegia alimentis provideretur, & ideo omnibus Anglicis navibus, alimentis & lignis onustis, liber in Norvegiam accessus patet. Non secus hinc discedentes securitatis causa Literis Anglicis muniuntur.

Numerus navium Danicarum per Anglos occupatarum est valde notabilis:

Hi Politici motus omnibus minoribus Aulis exemplo esse possunt, exorto inter majores Potentias bello, minime statum Neutralitatis retineri posse, verum alterutri majori Potentiæ adhærendum esse. Et huic fundamen-

to omnem minorem Rempubicam nisi oportet. Hamburgenses relationes de 29. Sept, referunt: — Juxta ultimas relationes Londinenses eruptio belli Russiam inter & Angliam indubitata videtur; id ipsum confirmare videtur modus agendi Anglorum ad Civitatem Lubecam, qui plures ibidem Russicas naves occupaverunt.

Ad Insulam Bornholmiam plures Russicæ naves visæ sunt, probabilius, motus Classis Anglicæ observaturæ. — Obsidio fluviorum Albis, Amisiæ, & Visurgis pro Neutralibus navibus ad Portus neutrales navigantibus sublata est.

Die 20. Septemb. convenit Senatus Hamburgensis, consilia collaturus de Propositione Gallici Ministri redituum Principis, quam Legatus Gallicus D. Bourienne pridie perceperat, qua Propositione voluntas Suxæ Majestatis Imperatoris declaratur, ut ex 16 Mill. a restitutis mercibus Anglicis 4 Mil. illico persolvantur, residuum vero intra spatium 6. mensium, in terminis 2. mensium exsolvi debet. Heri congregati sunt Cives, qui in eo coaluere, ut petiti illico 4 Milliones, deponerentur, quos collegium Commerciale mutuos dabit. Simul etiam deputatio constans ex 10 Civibus denominata fuit, in Societate 4. Senatorum de mediis restantem Summam producendi deliberatura.

Ex parte Magistratus Urbis hujus die 23 Septemb. promulgatum fuit, ut omnes illi qui in præsentē necessitate urbis hujus Pa-

triotico spiritu, ducti; necessitatibus urbis subvenire volunt, se intra spatium 8. dierum apud Inclitam Cameram insinuarent,

G a l l i a.

Parisiis 2. Octob. Aquo tempore per Politicæ Ministri Directores Commentariorum Parisiensium moniti sunt, multæ inveciones in sic dictam Philosophiam Sæculi 18 cessarunt; unicus Groffroyus in suis scriptis nunquam clam ejusmodi expressionibus utitur. Censores plurium Commentariorum mutati sunt, ne in Commentaria quidem de l'Empire dicta ejusmodi Propositiones imponere licet, quibus & Gallici, & exteri Scriptores vexabantur. Mercurius Gallicus priori comparatus, longe aliam formam induit, ex quo Censorem Legonve nactus est, & ex quo spiritu plena deductio ævi Ludovici XIV ejusque successorum, prodiit. Famosæ D. Genlis, prout fertur, Politicarum rerum scribendi ratio disvedetur.

Episcopus Dordurignensis non pridem occisus est, homicidæ die 23. Septemb cura & vigilantia Gen. Jullien Status Consilarii & Præfecti Morbihanensis detecti, & comprehensi sunt. Criminis rei se ad desperationem defenderunt; Tulchasu in loco comprehensionis vita privatus; S. Hilaire Primipilus vulnere adfectus. Reliqui in Carceres conjecti sunt.

Initium novi quadrantis Anni porrigit Quæstoribus Occasionem in memoriam revo-

candi, observationes præscriptarum regularum de exsolvendis Pensionibus Militaribus. Prima harum regularum est, ut Solutiones prima die quadrantis Anni initium capiant. Hoc tempore in omnibus solutoriis Officiis omnes Cassarum Perceptores simul sunt. Mandatum ex Decreto de 23. Vendemiaire A. 13. ad Personas Militares pensione provisæ expeditum, quo jubentur primis 14. diebus post quadrantem Anni se se insinuare, item novum illud Decretum 6. Januar. currentis Anni, quo eis facultas conceditur, se se per decursum totius mensis insinuandi, nihil de officio, & obligatione Quæstorum detrahit. Solutiones omnes die prima jam paratæ esse debent, ita, ut intra 30 dies quocunque tempore quilibet exsolvi possit, & quo citius spatio 30 dierum rationes conclusæ fuerint, eo mejore laude digni censendi erunt Quæstores. — Quidam Quæstorum eo prolapsus est, ut Solutiones protraxerit ita, ut pro his ultimos 4. dies destinaverit, ubi id ipsum prima die inchoare debuisset. Minister Consilii bellici hanc rem denunciavit, licet aliquanto tardius, querela enim contra hunc officialem jam prius suo loco deposita fuit, & jam ipsa vi legum punitus per amotionem sui ab officio. Poena infidelis, aut negligentia officialis pro honestis, atque honoris sui studiosis officialibus debita, & sufficiens satisfactio esse videtur.

Germania.

Hamburgo 2. Octob. Ephemerides nostræ referunt, Hafniæ durante obsidione 800 Personas Status Civilis partim occisas, partim vulneratas esse, decem Plateas, duo fora, & unum Templum maxima ex parte flammis absumta; Pophanium omnibus Anglicis Ducibus severa agendi ratione prævaluisse; omnem provisionem armorum omnis generis auferri, multas privatas Bibliothecas, quæ Literaturæ non parvo auxilio erant, igne consumtas, denique conclusum esse, ut ædificia igne absumta, ære persolvantur. — Iisdem Ephemeridibus continentur etiam alii Articuli: *Ponnanio 20. Septemb.* Ephemerides hujus loci de Borussia orientali narrant: lue pecorum omnia cornuta pecora periisse, ita, ut in Peripheria 3 aut 4 milliarium vix duæ tresve vaccæ reperiantur. Oves & Sues sunt absumtæ. Equorum numerus notabiliter est imminutus. Hordeum & Avena in plurimis locis nec inseminata quidem est, dimidium circiter frugum autumnalium depastum est. In his rerum adjunctis constituti pleni metu, cura, sollicitudine præstolamur eam hyemem, quam probabilius nulla adhuc Provincia experta est. Accedit & illud, quod multi homines moriantur, ex 1600. 340 & 400 e vivis decedunt, quibus alias forte fame perundum fuisset.

Hamburgo 1. Octob. — Heri in fluvio Albi ut rarus, ita tristis casus accidit. Navis Postalis, quæ post meridiem hinc discessit, cui etiam Literæ, aliæque res Neoburgum, & Bremam spectantes, impositæ erant, non procul Hamburgo ad Schreven-Hof dictum vi vehementis venti inversa est. Per debitos ordines res fere omnes in navi depositæ, servatæ quidem sunt, verum peregrinantes, qui circiter 70. erant, infelices omnes periire. Jam 20. Personæ mortuæ, ut certi rumores ferunt, inventæ sunt.

Gallicus Generalis Soult cum suis copiis hæret adhuc ad Elbingam.

Vix sedata inter Incolas terræ revolutione, ecce inter alites, incolas aeris, nova revolutio exoritur. Audite & stupete: Quidam Horopeus Viennæ nomine Degen, continua meditatione, & multo labore eo pervenit, ut sibi alas fabricaret, quarum ope in aere volare potest, in atrio Universitatis jam plures probas instituit, quæ omnes successere. Qui artem suam adhuc ad majorem perfectionem deducere vult, ac tum videbimus eum inter feras anates, & Corvos in aere volantem. Forte exsurget adhuc eruditus, qui Grammaticam Linguæ Avium edet, & tunc in aere novus mundus detegetur. — Joannes! dicebat quidam senio confectus Tabellarius Filio suo, non multum solliciteris, negotium Tabellariorum adhuc diu durabit, donec alatus ille homo negotio huic reassumendo fuerit. Aut si revera id effectui datum fuerit, tu quoque

tibi alas formare, & volans Tabellarius fieri poteris.

B I O G R A P H I A

Isis apud Aegyptios fuit una ex præcipuis Deabus, Dea Justitiæ. Pingitur gemmis, aliisque memorabilibus rebus insidens, Galerum, duo cornua, & globum gerens in capite. Cornua pertinent ad increscentem Lunam, globus vero Plenilunium, fuit enim Sybolum Lunæ. Supra Galerum videtur Numidica Gallina, cujus caput ultra frontem prominet, caput vero & pedes occiput Deæ tegunt. Templum nomini, & honoribus ejus, ædificatum est, offerebanturque ei hirci. Cultus & honores ejus ex Aegypto in Græciam, & Italiam translati sunt.